


U. q. 17, 8





1.







Universitäts- u. Landesbibliothek
Halle
(Saale)



43

Gratiâ Favente Divinâ!

**ELECTORUM JURIS PU-
BLICI ROMANO-GERMANICI**

SEMIDECAS NONA

*Consensu Magnifici Jctorum
Ordinis*

In Legum Nutrice Salanâ

PRÆSIDĒ

GODFRIDO FIBIGIO D. PANDECT.

P.P. Universitatis Rectore, & Facultatis

Juridicæ hodiè Decano,

RESPONDENTE

JOHANNE Bessern Droyfigio-Misnicô.

Publico eruditorum examini

Ad diem Januar:

In Jctorum Auditorio horis consvetis
institnendo,

proposita.

J E N Æ

Typis CASPARI Freyschmidts & GEORGI Sengenwaldts
ANNO MDC XLVI



Generoso, præ Nobili, perstrenuo, fortunâ famaqué Am-
plissimo, & rebus gestis Heroicis famigeratissimo.

DOMINO

Dn: LEONHARDO TORSTENSON

Domino in Redsta / Forstena & Rasiß

Regiæ Majestatis & Coronæ Sueciæ ut & Confœdera-
torum Consiliario Eminentissimo, nec non Exercitus in
Germaniâ Duci Generalissimo, Statusq; Pomeraniæ
Gubernatori prudentissimo

Domino ac Patrono suo Optimo Maximo.

Τὸ ὑγιαίνοντι χαίρειν.

Luctatus aliquandiu cumpudore meo sum INCLYTE HEROS antequam impetra-
rem, audaciæ sibi ut tantulum sumeret, & hoc Exercitium jurispublici Au-
gusto Tuo NOMINI ceu devotionis libamentum offerret. Neq; enim parvi negotii
est Virum in summo Dignitatis fastigio collocatum ultrò compellare, subq; tantæ
Majestatis affatu omnem perfricare frontem. Ignosce ergò, HEROS INDULGENTIS-
SIME: Divina enim illa tua indulgentia ac insignis benevolentia, qua omnes, qui
puriori bonæ Minervæ aura imbuti complecteris, ad hoc me animarunt. Tibi
enim consecrare hac pagellas volui, ut adfectus Tui mihi primorem veluti januam
aperirem, quâ receptus in interiorem porro benevolentiae aditum penetrarem.
Tuum ergo est maxime HUMANITATE AC FACILITATE, HEROS INCOMPARABILIS, mu-
nus hoc non à pondere sui sed offerētis volūtate æstimare & accipere animo sereno,
quo etiam modo minores victimæ placebant Diis cum heca tombas offerre facultas
negaret Ita demum mea Musa sibi gratulabitur & ad arcem fastigiatiissimæ felici-
tatis evecta videbitur, si Te nacta fuerit Patronum, fac ergo, voto ac spe hac ne ex-
cidam. Vale & vive beatissimè MECÆNAS optime.

Jenz è Musæo
Anno

M DC XLVI.

Tibi
Inclyte Heros
æterno cultu
devotus

Johannes Besser
J. U. Stud.

Gratiâ Favente Divinâ!
 ELECTORUM JURISPUBLICI RO-
 MANO GERMANICI

SEMIDECAS NONA

QUÆSTIO. I.

Quid sit Religionis pacificatio, utrum
*Transactio, vel fœdus, an Edictum, an verò Se-
 natusconsultum?*

Respondē-
 te Johanne
 Bessern
 Droyfigio
 Misnicus

IN quadrivio, quoad hanc quæstionem, nos constitutos
 esse nuperimè jam diximus, nullamq; nobis viam vi-
 deri tutam. † Aliam igitur electuri ambulabimus:
 † Nimirum pacem Religiosam propriè neq; *Transacti-*
onem, neq; fœdus, neq; Edictum, neq; Senatusconsultum,
 sed Imperii legem præviâ conventionione *Cæsaris Ordinumq; Imperii de*
certarum religionum libero & quieto exercitio constitutam, rectiùs
 dici defendemus. † Non est *Transactio,* sive ea *generaliter* sive
specialiter accipiatur. † Priori enim modo *transactio* denotat
omnem alicujus negotii, etiam non controversi expeditionem, finitio-
nem & determinationem, quocumq; modo vel mutuâ partium con-
ventionem tum nudâ tum vestitâ sive contractu, & non minus innomi-
nato, quàm nominato vel sententiâ judicis aut longioris temporis si-
lentio hoc est usucapione vel juramento factam. l. 229. & 230. D. de
V. 5. & ibi Dd. communiter, à quibus tamen dissentiunt Gaddens
& Cuiacius, talem verbi, transactionis generalem acceptionem
 rejicientes. † Posteriori verò casu *transactionis* vox non uno
 modo à Dd. describitur, sed à quibusdam dicitur *pactum non*
gratuitum de re dubiâ & lite incertâ neq; finitâ l. 1. D. de Transact.
l. cum ea 21. & l. transactio 38. C. eod. † Nec non conventio, quâ ne-
gotii dirimendi causa dari aliquid placuit l. 17. l. 33. C. d. r. † Item
conventio non gratuita, per quam res dubiâ & incertâ componitur.
 Alii autè *transactionem pactum vel conventionem esse* negant, quia
 si *pactum in genere accipitur, quod noviter contendit Cl. Bess-*
 lius

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

S

lius

- lius *dissert. ad Pandect. 6. th. 1. p. 106.* illud genus remotum, & necesse erit, ut de transactione, de qua predicatur istud, predicetur simul alterutra ejusdem species, hoc est vel pactum nudum, vel pactum vestitum: † Vtraque enim species de eodem predicari nequit v. g. si hominem animal dico, erit ille vel rationale vel irrationale, minime vero & rationale & irrationale animal. † Jam vero Besselius, & qui cum eo sentiunt, transactionem neque per pactum nudum, neque per contractum innominatum vel nominatum definiri posse, sed eandem aliquando duntaxat pactum nudum, aliquando contractum innominatum, aliquando nominatum esse existimat, quando scilicet vel per pactum conventum, id est, nudum l. 2. § l. 59. D. de Transact. vel per stipulationem l. 2. 3. 4. 15. D. de cod. vel mediante datione aut retentione, ut à lite discedatur l. 6. l. 33 l. 38. C.
9. eod. transactio fuerit inita † Quibus verbis alterutram tantum pacti seu conventionis speciem de transactione predicari negat, sed utramque tamen de eadem pro varietate modi, per quem negotium
10. transactum fuit, dici posse concedit. † Sed quis non videt, vacillare hæc omnia? † Unius rei una est essentia, una definitio, unum genus proximum, vulgata sunt Philosophorum axiomata. † Miscetur hic res cum modo rei, nec non ex modo ipsius rei natura & essentia estimatur, cum tamen constet illam hanc non immutare: † Transactio namque non est pactum, non est contractus, sed pacta & contractus sunt transactionis modi. † Igitur à Wesenbecio ad tit. de Transaction. & ejusdem affectis definitur transactio, quod sit rei dubie conventa & non gratuita decisio
11. d. l. 38. C. de Transact. † Jureconsulti Dillingenses transactionis voculam non in genere sed in specie pro pacto accipiunt, atque hoc in sensu pacificationem Religiosam transactionem dicunt.
12. † Sed jam demonstratum dedimus, transactionem pactum non esse, sed pactum tantummodo etiam generaliter sumtum transactionis modum † Ergo licet etiam prædicta pacificatio pactum foret, non tamen ideo transactio dicenda esset. † At dixeris, quamvis poneretur, pactum & transactionem differre, in eo tamen coincidere, quod utriusque effectus non nisi ad contrahentes & consentientes porrigatur, & consequenter illa duo inter se convenire, atque hinc nihil
inter-

interesse, sive Religionis Pacificatio transactio, sive pactum dica-
tur. † Sed dupliciter respondeo I. Ea, quae in uno tertio conveniunt, 23.
non statim inter se convenire, uti habet canon Philosophicus.
† II. Pacificationem illam nec esse pactum, quod confirmabunt ea, 24.
quae dicemus inferius circa membrum questionis hujus ultimum,
ubi evincemus, obligationem ex Religionis pacificatione provenien-
tem non tantum inter contrahentes & volentes consistere, sed & invi-
tos afficere, atq; sic non modo hic adesse vim pacti, & contractus, sed &
maximè vim legis. † Quae ratio etiam transactionem pro rei dubia 25.
conventà decisione acceptam à pace religiosâ removebit, quia nec
haec personas transigentes egreditur. † Hoc itaq; praesupposito, 26.
quod pax religiosa neq; transactio neq; pactum sit, corrumpit simul
id, quod Dillingenses inde deducunt, eandem scilicet esse stricti ju-
ris, & strictissime interpretandam cap. 6. n. 110. cap. 12. n. 5. quod
ipsum tamen annon aliunde colligi queat, jam non disputo.
† Deinde nec Religionis pacificatio propriè dictum fœdus est. 27.
† Ut ut enim variè illud à Dd. definitur, vel quod sit pactio pluriū 28.
Principum aut Rerumpublicarum de re licitâ & honestâ mutuo pra-
standâ solenni ritu certisq; legibus factâ ad Reipublicae salutem, vel
quod sit pactum publicum, quo diversa Respublica salvo Majestatis
jure sese mutuò solenniter obligant ad quadam sibi mutuò prestanda:
† Vel quod sit publica populorum principumve inter ipsos conventio 29.
in perpetuum concepta, (qui postremus definiendi modus Bodino lib. 5.
cap. 6. de Republ. per placet) † De quarū tamen definitionū veritate 30.
in praesentiarum iudicium meum suspendo; † In eoramen, nisi 31.
fallor, conveniunt omnes, quod scilicet fœdus non nisi inter diver-
sas Respublicas, aut diversos Principes licitè contrahatur, & quidem
beneficio Majestatis sibi competentis, ejusdemq; jure salvo atq; inte-
gro, privati verò & qui instar privatorum sint, ab iisdem prorsus re-
moveantur. † Uade firmiter concludo, Religionis pacificatio- 32.
nem minus rectè fœdus dici, cum ex propriâ Dillingensium hy-
pothesi Caesar non quâ talis, sed ut pars à parte Catholicorum stans,
Ordinesq; Imperii non ut universi, sed ut singuli considerandi sint,
quibus si quis Majestatem eo, quo superius diximus, modo sumtam
adsignaret, non Majestatem certè Majestatem efficeret, quo quid

33. neptum magis dici possit, subdubito. † Nec porro pax religio-
la *Edictum Comitiale*, vel etiam *Senatusconsultum* congruè defi-
nitur. Quamvis enim facile concedam, hac ratione *Ud.* pro-
piùs scopum attingere, & per *Edictum* ac *Senatusconsultum* me-
liùs quàm per *pactum*, *transactionem* & *fedus*, pacificationis na-
34. turam exprimi: † Attamen quia vocabulum *Edicti generalis*
constitutionis Principis speciem denotat, edictum propriè acce-
ptum *solius Principis* proprium est, diciturq; illud, quod princeps
proprio motu ad subditorum utilitatem constituit. Theoph. *ad*
35. *§. 6. f. de f. N. G. & C.* † Quod agnoscit etiam Syringius *con. l.*
14. de Pace Religionis, hinc pro voce *Edicti*, quâ generis loco quon-
36. dam usus fuerat, *Senatusconsultum* substituit; † Sed cum nec *hec*
vocula nature pacificationis ex asse corraspondeat, utpote quam
non senatus constituit interveniente scilicet principe, talis enim
Senatus hodiè in Imperio nostro non est, ipso fatente Syringio *d.*
l. præstabit fortè vocibus illis abstinere, & Legis vocabulum in ea-
37. rundè locû surrogare. † Quod ipsû ut corroborem & illustrem;
primò omnia ea, quæ pro *questione tertiâ Semidecadis præcedentis*
octava stabiliendâ adduximus fundamenta, hîc reperita volu-
38. mus. † Etenim inter *alias Imperii leges & nostram Religionis pa-*
cificationem differentiam aliam non video, quàm quod *illa re-*
gulariter iannantur votorum majoritati, etiam si vel à solis sta-
tibus Catholicis *eadem profecta* fuerint; Hæc autem *utriusq; Re-*
39. *ligionis statum* exposcat consensum. † Quod tamen non ita
simpliciter intellectum volo, ac si omnimodò prorsus in *Religio-*
nis negotio votorum majoritas exulare cogatur, quin potius nul-
lus dubito, ea, quæ placuêre hoc in casu *unius partis majori parti*
sive pluribus, obstringere simul *minorem reliquosq; pauciores for-*
40. *tè diversum sentientes*. † Tamdiu enim *Regula* standum esse cen-
seo, quæ *plurium votorum autoritatem* in *conventibus publicis &*
41. *collegialibus* tuetur, quamdiu probetur exceptio. † Unde & *in-*
ter confederatos, in causis faderum à majori parte concluditur.
42. Waren. ab Erenberg *lib. 2. de fed. p. 154, 162, & 326.* † Immo
ipsum jus *Canonicum* in *cunctis Ecclesiis, electionibus, aliisq; con-*
gressibus plurium suffragia attendenda esse statuit *it. extr. de his*
que

qua fiunt à majore parte & ibi Panormit. cap. inter 21. §. discretioni
 vestra cap. cum in jure 33. cap. venerabilem 34. §. Objectionibus cap.
 coram 35. de Elect. † Cum itaq; in religionis negotio Ordinum 43.
 Imperii duæ sint classes, & hinc duo existant Collegia, quorum
 unum Catholicorum, alterum Protestantium dici possit,
 certè, nisi in utroq; majora concludant, remedium nullum per-
 spicio, quo res ad causæ definitionem perducant. † Excipi 44.
 unt autem Dillingenses, Religionis pacificationem decretam fuisse
 circa Ecclesias & jura Ecclesiastica, quæ neq; Romani Imperii sint, ut
 ut Casar suo arbitratu de iis disponere possit, neq; ad Catholicos seu
 Ecclesiasticos universim pertineant, sed ad singulos Episcopos & Præ-
 latos. † Igitur si unus vel plures consensum dare noluerint, aut con- 45.
 tradixerint, eâ pace seu transactione ipsos eorundemq; Ecclesias ob-
 ligari non posse. † Distinguendum igitur hîc esse dicunt, inter jura u- 46.
 niversitatis, & rem aut jus singulorum. † Ibi majoris partis consensum 47.
 sufficere, hîc verò minimè, sed necessarium esse, ut omnes & singuli
 consentiant. † Quam in rem allegant præter auctoritates alias 48.
 Glossam in l. 26. quæ sit longa consuetudo: Et si millies, inquit, con-
 sentiat major pars, ut ego tenear, non idè tenebor. † Rem enim inter 49.
 alios actam, alio non præjudicare, idq; quod nostrum sit, sine facto no-
 stro ad alium transferri non posse. † Causas illas, quæ in Comitibus 50.
 agitentur, ac decernantur secundum plurium suffragia, esse circa ju-
 ra communia, quarum omnium ordinum Imperii peraquè interfit.
 † At Augustæ actum fuisse de suspensione Jurisdictionis Ecclesiastica, 51.
 & pastoralis officii restrictione ac suspensione, ad propriam cujusq; E-
 piscopi conscientiam, obligationem, ac juramenta. † Sed nos Re- 52.
 spondemus I. negando, Religiosam illam constitutionem de iis di-
 sponere, de quibus Imperatori Ordinibusq; Imperii, Ecclesiasticis & Po-
 liticis disponere non liceat, cum certè indubium sit curam & directio-
 nem rerum Ecclesiasticarum, Religionis exercitium publicum, sacro-
 rumq; constitutionem ad eosdem spectare, & cum absq; omni contro-
 versia religio felicitatem Reipublicæ consummet, ab eâq; totius Im-
 perii salus, pax & tranquillitas publica dependeat, ejusdem disposi-
 tionem & ordinationem esse rem & negotium Imperii, quod inferius
 fusè deducemus. II. Fallum esse, quod pacis religiosa objectum ad-

§. 3.

singul.

- singulos pertineat Episcopos & Praelatos, non modò ob jam prædictam rationem, verùm etiam propterea, quia aliàs & aliorum Ecclesiasticorum, Praelatorum, Praepositorum, Abbatum, qui tamen status Imperii non sint, consensus ad pacis illius constitutionem & vigorem fuisset necessarius, nec aliter obligari potuissent, quàm si consensissent.
53. quod tamen nemo unquam, spero, concessurus erit. † Et licet aliis in causis non exigua sit differentia inter mediata & immediata membra Imperii, in iis tamen negotiis, quæ non nisi per pactum & conventionem componi possunt, & ad singulos pertinent, illius distinctionis nulla habenda est ratio. † Quicquid verò sit, aliã tamen in super ratione Dillingenses cõprobare allaborãt, argumentum à cæteris Imperii Legibus vel Recessibus deductum & pacificationi accommodatum esse invalidum, cùm hæc ab illis in eo differat, quod illa non contineant pactum, sed antecedentem tractationem & majoris partis Curie seu Ordinum Imperii consensum, quem Cæsar postea approbans Imperiali suã autoritate pragmaticam sanctionem decernat: Ideò Ordinum consensum seu concordationem esse conditionem quandam, ac dispositionem, quæ antecedere soleat Imperialis Recessus decretum. † At verò in Comitibus Augustanis Anno 1555. duarum partium pacta & conventa reciproca suis articulis disposita esse, adjuncto Imperiali sanctionis decreto, quòd pro obiecto ac materiã suã habeat eosdem transactionis articulos, uti appareat ex toto contextu Recessus S. *Seyendem nach/ordnenn ic. S. vnd damit solcher Fried ic.* † In Recessibus Imperii concurrere quidem etiam formam contractus, sed ita, ut dispositio eorundem antecedit, postea verò per promissionem statuentium in contractum transeant, big, Ordines Imperii non in Catholicos & Confessionistas dividi, sed omnes pariter tanquam unum corpus sententias dicere, Cæsariq; proponere, quibus auditis & pensatis Cæsar tanquam Imperii caput decernat, quod justum & utile sit. † Longè aliter autem comparatum esse cum Religionis Pacificatione, in quã contractus seu transactio inter partes antecedit, eaq; postea per legem autoritate principis præcipiatur, promulgetur, ac pactis publicis subjiciatur: † Et sic Religiosam illam constitutionem & legem non transire in contractum, sed transactionem sive contractum transire in legem. † Hic Ordines Imperii dividi, unig;

unig; parti accedere Imperatorem ut compartem, obligantem se aleri
parti. † Pro hisce removendis & refellendis dubiis observandum 60.
est, (1.) nos quidem haut diffiteri, sed lubenter largiri, immo jam
paulò ante monuisse, in eo inter alios Recessus Imperii, & Religionis
pacificationem, conspici ac consistere quandam differentiam, quod hic
votorum majoritas eo modo, quo illic fit, minus attendatur, quodq; in
Religionis negotio status dividantur. † Inde tamen (2.) inferri non 6.
posse, quod pacificatio illa non eandem vim legis obtineat, quã
pollent aliæ Leges Imperii, utut modus legis pro diversitate obje-
cti aliquã ex parte diversus sit: † Sufficit nobis, quod & invitis 62.
dentibus fateri cogentur Dillingenses, sæpius prædictã Religi-
nis pacificatione invitos quoq; & nõ consentientes obstringi, quod
exemplum mediatorum & immediatorum, maximè eorum, qui
non suat status, Imperii membrorũ satis comprobat. † (3.) Por-
rò divinatorium prorsus est, quod pactum sive conventionem pra-
viam aliis Imperii Legibus illi denegent, & praviã tantum mo-
dò tractationem attribuunt, contra expressa illarum verba, quæ
proximè retulimus: Vnd haben wir vns mit ihnen/ vnd sie
sich hinwiederumb mit vns verglichen. † Quæ subsequun-
tur hæc: Setzen demnach/ordnen/wollen vnd gebieten rc. 64.
† Non ergò ibi legis dispositio præcedit contractum sive pactum, sed 65.
pactum præcedit dispositionem legis. † (4.) Multò minus Cæsar 66.
in hoc Religionis negotio tantum ut pars considerari debet, sed po-
tius ut Caput Imperii, quia id, quod utriq; parti placuit, autorita-
te Imperiali decernit, confirmat, & instar aliorum Imperii Recess-
uum promulgat, ejusdemq; strictam observantiam omnibus &
singulis seriò injungit & præcipit. † Vis fidem verbi? Ecce. per-
pende, quæso, ipsa Pacificationis verba, quæ inter alia ita habet. 67.
† Haben wir vns mit der Churfürsten Râthen vnd geord-
neten erscheinenden Fürsten vnd Ständen/ der abwesens
den Botschafften vnd Besandten / vnd sie hinwieder sich
mit vns vereinigt vnd verglichen. † Setzen demnach/ord-
nen/wollen vnd gebieten / daß hinfuro niemands / was 68.
Würden/ Stands oder Wesens der sey/rc. † Wir befehlen
vnd

- vnd gebieten auch hjermit / vnd in Krafft dieses vnser
71. Reichs Abschiedes etc. † Sed ad rem ipsam redeamus, & nostra opinionis fundamenta ordine recen eamus. † *Primum* haftenus
72. remissivè comprimis tractavimus. † *Succedit alterum*, quod tale esto: † *Quodcumq;* partim communi statuum consensu approbatum, & Imperiali autoritate confirmatum, partim ex plenitudine potestatis dissentientibus inter se invicem statibus, à Cæsare constitutum, promulgatum, & mandatum, illud omnino Imperii lex est, nec tantum vim habet contractus, sed & vim legis, & consequenter etiã ad illius observantiam tenebuntur & consentientes, & dissentientes seu invitati. At qui de Religionis pacificatione verum prius. Ergo & posterius. † Major nullius est probationis indiga. † Minor probatur
73. tum ex modò dictis, tum ex Pacis Religionis. Vnd nachdem bey vergleichung dieses Friedens Streit vorgefallen / ibi: welcher sich aber bey der Religion Stände nicht haben vergleichen können: demnach haben wir in Krafft Hochgedachter Röm. Käys. Majest. vns gegebener vollmacht vnd heimbstellung erklärt vnd gesetzt / thun auch solches hjermit wissentlich / also etc. tum ex Recess. Augustano de Anno 1559. §. Si weil aber / ibi: derhalben wir vns dann zu allen vnd jeden Ständen sambt vnd sonderlich versehen / Setzen / ordnen vnd wollen auch etc. † Nec nõ ex Recess. Imper. de Anno 1566. §. Vnd nach dem dann & de Anno 1613. §. So sein wir etc. ubi mandatur omnibus Imperii statibus, daß sie den in Anno 1555. auffgerichteten vnd seithero so manchmal zugesagten vnd hochberühmten Religion = Prophan vnd Landfrieden vnd desselben Handhabung / auch andere des Heiligen Reichs Satzungen vnd Ordnungen in allen ihren Puncten vnd Articulen zu allen theilen vestiglich vnd
76. unverbrüchlich halten vnd vollziehen etc. † *Tertium & ultimum fundamentum* in eo ponimus, quod Rex Romanorum electus nomine totius Imperii omniumq; ejusdem membrorum per Capitu-

pitulationem obstringatur, ad tuitionem, defensionem, & executionem ut aliarum Imperii Legum, ita & Religiosa pacificationis.

† Accedit & id, quod multoties ipsi Imperatores eandem Legem Imperii fundamentalem vocitent, quod nec Dillingenses inficias ire queunt. † Eapropter nec omnem omninò legis vim pacificationi detrahunt, quin potius eandem eidem adscribunt, ita tamen, ut ea tantummodò locum habeat inter eos, qui in transactionem consenserunt, atq; sic pacificationem transactionem dicunt Imperiali decreto seu sanctione stabilitam. † Sanctionem illam non immutare pacificationis naturam, quae à transactione intrinsecè & substantialiter dependeat, sed potius magis magisque corroborari & confirmari. † Uno verbo: Negant Dillingenses, pacificationem esse meram sanctionem & Legem Imperii, sed in eam concurrere & vim contractus & vim legis, quae tamen secundum illam limitetur & restringatur, cum illa preponderet, tanquam ex ipsa negotii natura oriunda. † Sed profe-

77
78.
79.
80.
81.
82.
83.
84.
85.
86.
87.

81. Etò viri illi Clarissimi contradictioni sese implicant, dum asserunt, pacificationem quidem esse Legem Imperii, & obtinere vim legis, negant verò, eadem obstringi dissentientes & invitos. † In hoc enim vim legis consistere nuper audivimus, quod omnes Imperii subditos obstrictos teneat, sive consenserint, sive minus. † Ergò hac ratione vis legis non vis legis efficitur, & quod affirmatur, simul negatur, quod certè penitus rationi adversum. † Deinde Jcti Dillingenses confundunt & commiscunt rem ipsam cum ipsius rei modo, quod superius etiam notavimus. † Modum, qui dicitur pactum & conventio, non impugnamus, nec vim contractus vel pacificationi, vel aliis quoque Imperii Legibus denegamus, (videantur ea, quae habet Semid. preced. quest. 3.) † Verumtamen hoc dicimus & constanter affirmamus, pacificationem nimirum pol- lere simul vi legis universalis, ita, ut obliget etiam minorem partem tum Catholicorum tum Protestantium Imperii statuum, nec non alia immediata & mediata Imperii membra. † Vis autem contractus non nisi inter consentientes locum obtinet, (uti rectè concludunt ipsi Dillingenses, neque de eo ulla cum iis nobis lis & controversia erit,) & id operatur, ut non nisi mutuo Ordinum Imperii & Catholicorum ac Protestantium consensu lex illa imperii tolli & mutari possit.

T

QVÆ-

QUÆSTIO II

An pax Religiosa Imperatori Carolo V. vi fuerit extorta?

1. † Quò prolixiores fuimus in resolvendâ quæstione primâ, eò breviores erimus in decidendis reliquis & residuis controversiis.
2. † Igitur re. notis omnibus Verborum ambagibus ad quæstionem hanc negativè respondemus contra quosdam catholicos & cõ-Primis Franciscum Burckhardum ab autore Parthenii litigiosi lib. 1. cap. 6. n. 9. Andream Erstenberger dictum, & Johan Paulum Windeck, publicitùs vociferari non verentes, hanc religionis nostræ libertatem Cesari vi ferroq; extortam fuisse, quibus tamen non subscripsisse Jctos Dillingenses nunquam non læto mecum volvo ac revolvo animo: Et constat idèd iisdem sua
3. laus, debitumq; veritatis præmiũ. † Rectè Syringius dissert. de pace Religionis concl. 15. figmentum hocce mendacium satis impudens & à veritate fidei historicæ profus alienum appellat.
4. † Nostram sententiam stabiliemus argumentis insequentibus.
5. † I. A quocunq; actu abest violentum, ille non poterit dici vi extortus & violenter invitus. Sed de Pace Religionis verum prius. E. † Minorem probamus hoc prosyllogismo: Cujuscunq; actus principium non est externum, nec cogit agentem, etiamsi nolit & resistat, hoc est, ut contra internum impetum, appetitum & inclinationem, aliquid patiatur vel faciat, ille non est violentus: Sed de constitutione illâ religiosâ & hinc verificatur antecedēs E. † Major patet ex definitione inviti à Philosopho lib 3. Eth. cap. 1. hunc in modum propositâ:
8. † Βίαιος ἐστίν, ἔν δὲ δὲχῆ ἐξωθεν, τοιαύτη ἔσται, ἐν ἧ μὴδὲν ἀναβάνηται ὁ πρὸς τὸν, ἢ ὁ πρὸς τὸν. Violentum est id, cujus principium extra est, atq; ejusmodi, ut
9. nihil adjuventi adferat is, qui agit, aut qui patitur. † Minor constat
10. ex Pacis Religionis naturâ & historiâ. † Utrumq; hæctenus sufficienter enucleavimus, ut huic rei explicandæ longiùs immorari frustraneum & supervacaneum esset. † Cessavit eo tempore omnis vis hostilis & compulsiva, omnis metus talis, qui in constantissimum cadere possit, omnisq; armorum strepitus quiescebat, nec non Carolus V. Imperator ille gloriosissimus ferè triumphum ubiq; agere videbatur Thuan. lib. 4. histor. fol. 82. & seq. † Omnia alia
12. secò.

siccō. prorsus pede prætereo, quæ nostrates hîc accumulanti:
 † Unicum adhuc l. urgeo, quod liberrimæ voluntatis certissimū 13.
 est indicium. † Id verò est *Reservatum Ecclesiasticum* *der Selbst-* 14.
liche Vorbehalt/de quo statibus Protestantibus etiam dissen-
 tientibus *Pacificationis* §. 5. ab Imperatore conceptum fuisse,
 ex prædictis combibimus. † Annecto III. & id, quod licet po- 15.
 neremus, *circa actum pacificationis concurrisse metum majoris mali,*
eandemq; duntaxat ad evitandū majus malum constitutā esse, nihil
 minus tamen permaneret *actus ille voluntarius,* per ea quæ tradit
 Philosophus *d. l. b. 3. Eth. c. 1.* ubi docet, *quod violentum sit duplex,*
βίαιον ἀπλῶς i. e. simpliciter violentum, & βίαιον κατὰ πιν i. e. violentum
secundū quid: Hocq; posterius quidem *actionem mixtam* dicit,
actionem tamen spontaneis similiorem. † Quamvis namq; *per se* 16.
& absolutè sive solitariè consideratum invitum sit, & *per se* à nemi-
 ne expetatur; attamen *pro nunc & ratione cause finalis* expetitur
 ideoq; *spontaneum* existimatur. † Et quidni? *Principium enim* 17.
actionis mixtæ est intrinsecum in ipso agente, principium videlicet
movendi partes agentes, & applicandi membra corporis ad agendum,
 ut loquitur Thomas ad d. l. Aristotelis. † *αὐτὰρ πρὸς ἕτερον,* inquit hîc 18.
ἐν τοῖς κατὰ ἐνάστῳ *actiones versantur in singularibus, & quæ per metum*
sunt, tunc cum ferunt, sunt eligibilia. † *Actionis finis* aestimatur ex 19.
tempore, quo fit. At *metus instantis tempore propter majus malum*
evitandum tale quid eligitur, quod aliàs non expeteretur: cum verò
eligitur, habet rationem boni, & ita fit objectum voluntatis. † Hinc 20.
 Jureconsulti nostri dicunt, *necessitatem imponi voluntati & simul*
voluntatem necessitati, atq; ita voluntatem aliquid facere ex necessi-
tate, l. 1. D. quod met. causâ gest. coactam voluntatem esse volun-
tatem l. 21. §. penult. D. eod. † Excepturo, *immò voluntatem cogi non* 21.
posse, Scholasticorum distinctionem inter *actus elicitos & impe-*
raros reponam. † Illi *omnem omninò vim, omnemq; coactionem re-* 22.
 spuunt: † Hi autem *violentiam quandam* admittunt: † Ratio di- 23.
 versitatis hæc est, quia *illi sunt actus voluntatis immediati, & cogi* 24.
voluntatem circa illos, nihil aliud est, quàm à voluntate talem actū
elici, qui inclinationi repugnet, quod est ineptum & absurdum.
 † Hi verò *mediantibus aliis potentiis* exercentur, & *circa hosce actus* 25.

voluntatem cogi, est, ab extrinseco in illis potentiis aliter vel aliud
 26. geri, quàm voluntas imperat. † Sed hac de re plus satis. Consultan-
 tur ipsi Philosophi, in quorum honorem hæc adscripsimus, ut cupide
 Legum juventuti insignem illum Philosophiæ in nostrâ Jurispruden-
 tiâ usum iterum atq; iterum monstraremus.

QUESTIO III.

An Pontificis Romani consensus ad validitatem Paci-
 ficationis actus adeò fuerit necessarius, ut eo
 deficiente ipse quoq; actus corruat?

1. † Et hic simpliciter negativè respondemus, nihil metuentes, vel
 ipsius Papæ autoritatem, (quam tamen, ipsi nos haut invidemus, sed
 miramur magis & certo modo deprædicamus,) vel etiam ipsorum
 Jesuitarum tela peracuta & sanguifera, quibus saluberrima illius
 Religiosæ constitutionis, super quâ omnis salus publicæ Imperiæ, be-
 atitudo tuò acquiescit, consistentiam & valorem funditus subver-
 tere annituntur, in tantum, ut nec Pæpæ relaxationis & rescissi-
 onis remedio locum aperire erubescant, sed audenter tentent, al-
2. laborent, defendant. † Apertius hoc in genere cum statibus Pro-
 testantibus Jcti Dillingentes, qui in suâ Compositione Pacis cap. 5,
 q. 29. fidem publicam nobis datam, libertatemq; Religionis no-
 bis promissam deficiente licet Pontificis consensu, perpetuam & in-
 violabiliter absq; ullo relaxationis rescissionisvè remedio observan-
 dam volunt, svadent, tuentur. † Quod ipsum non minus iis-
3. dem haut minimo cedit honori, ut ut non pauca sint, quæ in
 ipsorum argumentis desiderari possunt, cum nec secû ipsi: benè
 constare videantur. † Primarium Jesuitarum & Antagonista-
 rum fundamentum hac vice considerabimus, quo sublato, cæ-
 tera sponte suâ collabascant. † Illud verò huic innititur prin-
 cipio, quod Religionis exercitium, ejusdem permissio, & rerum Ec-
 clestasticarum dispositio non nisi ad Pontificem spectent, nec Jurisdictio
 Ecclesiastica eidem inscio & invito adimi, aut per pacificationem su-
 spendi potuerit: Esse rem inter alios actam, quæ aliis non citatis obesse
 nequeat: † Dillingenses respondent, opus quidem fuisse Pontificis
 6. consensu ad Religionis Pacificationem, si eadem legis. Casarea sive
 Imperiæ

Imperii naturam haberet, quia alias se extenderet ultra jurisdictionis
 secularis limites, videlicet ad materiam, qua absolute Ecclesi-
 astica & spiritualis sit, aperteque repugnaret Ecclesiasticae immunitati,
 secundum quam omni jure prohibitum cuicumque seculari Magistra-
 tui, ne Ecclesiastica jura & actiones competentes impediret suspendere
 aut restringeret d. cap. 5. n. 26. † Diversam vero esse rationem nostrae
 pacificationis, quia illa pactum, fœdus publicum & transactio sit, qua
 intrinsecè ac principaliter non decernatur ob Reipubl. utilitatem, sed
 ob partium favorem: † Ubi tamen monent, duobus modis contin-
 gere, ut summi Pontificis consensus & approbatio requiratur, si fœdus
 circa religionem incundum sit, vel ut illud licitè fiat, vel ut validè.
 † Priori casu contentum Pontificis exposcunt. † Altero autem
 eundem necessarium esse negant, & quidem idè, quod inciden-
 te necessitate, si Respublica aliter defendi non posse videretur, nisi tole-
 rato vel et à promisso falsa Religionis exercitio ipsum jus naturale ta-
 lem potestatem principi tribuat: † Ex duobus enim malis, eligendum
 esse minus. † Si tamen fieri posset, nec periculū in morā esset, consulendū
 prius hac de re volunt Pontificem d. c. 5. q. 28. & q. 29. n. 57. † Ha-
 stenus Dillingenses, Qui equidem in eo non vulgarem me-
 rentur laudem, quod nulli rescissioni vel relaxationi locum con-
 cedant, sed pacificationem sanctè observandam velint. † Videntur
 tamen nihilominus non uno modo labi & sibi ipsis obviare ac
 contradicere, dum illi præsupponunt, I. Obiectum pacificationis
 potestati seculari hant subjacere, per se loquendo & seclusa necessitate
 illicitum judicantes, hæc sint tolerare d. c. 5. q. 25. p. 130. & p. 134. eaq;
 de causa summi Pontificis consensum & approbationem, ut religionis
 fœdus licitè fiat, requirentes. † Et tamen eo non obstante Pacifica-
 tionem licitam validamq; pronunciant, ex ratione prioribus pro-
 fus adversante quam pag. 152. hisce verbis proponunt: Cum verse-
 tur circa materiam seu obiectum per se non malum, videlicet permissio-
 nē exercitii hæretici, quippe qua per circumstantias cohonestari potest.
 Atq; hac ipsa circumstantia, quod publico jurato fœdere libertas pro-
 missa sit, ejus permissio cohonestatur, ut nefas sit violare. † II. Deinde
 quī sine contradictione Dillingenses consensum Pontificis & à fœ-
 dere circa religionem incundo removeant, & simul ad idem eundem

T 3.

ant-

- tanquam necessarium requisitum exigant, ego quidem non video.
17. † Nec tollitur contradictio illa per distinctionem ab iis positam, cum hæc duo, *to licite fieri*, & *to valide fieri*, nō sint à se invicem
18. sejungenda, sed conjungenda: † Quodcumq; enim requiritur de aliquo jure ad prius, illud simul de eodem jure ad posterius, & vice
19. versa. † Et quod non est licitum, sed illicitum, inhonestum ac juri con-
20. trarium, illud nec certè de jure validum, l. 5. C. de Legib. † III. Ita argumentor. Quodcumq; Magistratui secularijus natura cōcedit & attribuit, id certè potestati Magistratus non exemptum, sed eidem absq; consensu & approbatione Papæ concessum & licitū est, nec ejus exercitio Magistratus excedit suæ potestatis limites: Jam largiuntur Dilligen- tes, potestatem fadera pangendi circa Religionis & Ecclesiastica negotia in necessitatis casu Magistratui à jure naturali concedi: Ergo sanè tale fedus à Magistratu initum etiā absq; confirmatione Pontifi-
21. cis erit & licitum & validum. † IV. Contradictio est, denegare Cesari & Imperii Ordinibus potestatem ac facultatem leges sancienti de religionis negotio, & simul affirmare, licere illis de eodem pacisci & trans-
22. sigere. † Etenim omne id, quod non est in manu sive potestate transigentium positum, quodq; juri adversum, illud profectò nec transactioni subjacet, nec ejusdē erit objectum habile d. l. 5. C. d. l. 7. §. 7. 14. 15. 16. l. 27. §. 4. l. 28. pr. D. de pact. l. 6. C. cod. & passim alibi. † Nec hinc
23. quicquam operari potest necessitas sive status Ratio, per ea quæ non ita pridem diximus. † Taceo alia, quæ monenda essent.
24. † Aliter itaq; ad Adversariorum argumenta respondeo, & quidem,
25. prout eorundem qualitas postulat, vulgari illo brocardico: Quod solà affirmatione affirmatur, solà negatione refellitur. † Pontifici
26. nullam in Religionis etiam negotio, uti à nobis hinc consideratur, potestatem concedimus, nullum jus, nullam Jurisdictionem, sed illud tanquam affectionem politicam ad Magistratum quoq; politicum spectare existimam⁹ † Religionis pacificatio nihil quicquam de ipsâ Religione, vel de fidei articulis disponit, neque ipsam religionem approbat, sed utriusq; exercitium duntaxat concedit & permittit liberum, eo sine, ut pax publica facta recta conservetur, nullaq; vis conscientis liberis, in quas Deus sibi soli reservavit domi-
28. nis, inferatur. † Præstat aliquando plures tolerare in Republicâ Religiones,

giones, quàm horrendam conscientiarum carnificinam admittere
& exercere. † Exemplo nobis sint Medici, qui in morbis gravio- 29.
ribus plus quandoq; proficiunt quiescendo, quàm movendo.

QUÆSTIO IV.

An Calviniani sive Reformati, quos vocant, pacificati-
one Religionis comprehensi

† Quæstionis sensus hic est, *Utrum Calvinianis liberum sue reli-* 7.
gionis exercitium vi & beneficio pacis Religiosæ competat? † Certè si 2.
verba ejusdem inspicimus, negativam illa efflagitant sententi-
am. † Potiora adscribere lubido est. † Doch sollen alle ande- 3. 4.
re/ so obgemelten beyden Religionen nicht anhängig / in
diesen Frieden nicht gemeint / sondern gänzlich aufge-
schlossen sein † Per Religionem verò duplicem ibi intelligitur 5.
Catholico - Romana, & Confessio Augustana in Comitibus Augustanis
Anno 1530. Carolo V. exhibita. † Quicumq; igitur non alterutri & exasse 6.
& totaliter adhæret, sed tātū de utraq; aliquid participat, ille nō gau-
debit vi ipsius pacificationis libero suæ religionis cultu externo, sive
sed ut vel Augustanā vel Catholicam Pontificiam amplectatur religi-
onem, necesse est. † Utrum Calviniani alterutrum faciant, ipsi vi- 7.
deant. † Alia verò quæstio est, annon illi hæcenus in pacem religio- 8.
sam passivè recepti, hoc est, tolerati fuerint, & annon adhuc tolerari debe-
ant? † Quod profectò affirmare nullo dubito. si vivant quietè & pa- 9.
ca è. Postulat id ipsum Imperii salus, exigunt callida Jesuitarum
fraudes & conatus. suadet fortè etiam jus iisdem quæsitum, expos-
cit deniq; Pax & quies publica, conscientiarumq; libertas, omnis co-
actionis nescia. † Non possum non adscribere, quæ ad Imperato- 10.
rem in Comitibus Augustanis Anno salutis nostræ 1566. protestantes:
† Und wie wohl die Stände der Augspurgischen Confessi- 11.
on Verwand/sich gewissens vnd Behorsams halber auch
der warheit zum Beystande gegen der Käyserlichen Wase-
stätt deromassen erkläret: So were doch ihr Gemüth/Will
vnd Meynung gar nicht / den Churfürsten Pfaltzgraffen
oder andere / so in etlichen Artickeln mit ihnen streitig in
Teuta

Teutschen oder in frembden Nationen in einlge Gefahr
 zustellen / oder auch des gegentheils Verfolgung (welche
 in oder aufferhalb Teutscher Nation fürleufft) zu billigen/
 stercken oder den armen betrübten/bekümmerten des worts
 Christi ihr Erütz vnd Verfolgung Schwehrer vnd grösser
 12. zumachen etc. † Videatur Syring. de pac. Relig. concl. 21. & 22.
 13. Cran. diff. de constit. Relig. part. 1. problem. 13. † Sed an Calvini-
 anis ius mutanda & reformanda religionis etiam competat? alio-
 14. ris indaginis, & longi subseclii res est. † Nobis Non LIQVET.

QUÆSTIO V.

An Religionis pacificatio per Concilium
 Tridentinum sublata fuerit, an verò in pri-
 stino adhuc persistat vigore?

1. † Posterius rectè defendunt nostrates & Theologi & Cri, pro
 2. quibus pugnat. † I. Constitutionis de pace Religiosâ natura,
 quæ non admittit, ut invitâ alterutrâ vel Catholicorum, vel Pro-
 3. testantium parte illa tollatur. † II Tridentini Concilii conditio
 & qualitas de quâ Syring. concl. 49. Cran. d. diff. part. 2. problem. 4.
 4. † Fuit illud nec pium, nec liberum & amicabile, sed â priscâ
 primitivæ Ecclesiæ consuetudine, ab omni deniq; humanitate
 5. alienissimû. Vide sis Da. D. Carpz de L. Regiâ cap. 3. sect. 7. n. 5. † III.
 Pacis Religiosæ post concilium etiam Tridentinum facta con-
 firmatio, de quâ fidem faciunt Recessus Imperii de Anno 1566 §.
 vnd nach dem / de Anno 1613. § seindt wir / nec non Capitulatio-
 nes Casareæ, Rudolphi II. Matthiæ I. Ferdinandi II. & moder-
 ni gloriosissimi Imperatoris Ferdinandi III. quibus singulariter
 ad Pacificationis Religiosæ perennem observantiam juramen-
 to sese obstringunt. Tantum!
 Terminalia sunt.

Corollaria.

1. Vtrum pater Pontificiæ Religionis possit filium reformatæ Religionis, eo nomine tanquam Hæreticum ex hæredare. N.

2. Vtrum Legatum à Pontificiæ vel Augustanæ religioni addicto sub conditione deserendæ religionis relictum etiam conditione istâ non adimpletâ debeat Legatario?

Pax erat in terris, dum religioſa vigeſant
Pacta, ſed his fractis fugit & illa procul
Diſpereat quicunq; manus diſſolvit amicas
Vi nunc quas firmè junxerat alma fides,
Religio, o utinam priſco gauderet honore
Mox quoq; pax veteres viſeret ipſa Lares
Nomine tu, Beſſere, tuo meliuscula ſpondeſ,
Omnipotens faxit nomen in omen eat.

Suo *quod legatus*

Johannes Major D.

Arcana Imperii noſtri, ſanctosq; Reſſus,
& quæ ſit Pacis religioſa fides,
rimari, Induperatoris quoq; jura tueri,
aut illis vitam reddere, Cæſareum eſt.
Antiſtat privæ quantum res publica: tantum
laudis, BESSERE, creſcit agalma Tibi.

Eximio Dn. Compranſori beni.
volentia teſtandæ P.

Johannes Tobias Major
ſanctæ Theol. D. & P. P.

Non neſcire, bonum eſt, teneant quæ jura Quirites;
at mihi crede, datur ſapè bono melius.
Imperii Poceres teneant quæ jura, poteſſe,
eſt magè conſpicuum, di numerare manu.

Tandem.

*Tandem connubio meliora bonis jungendo
tam stabili, super est, Optimus ut clueas.*

*Eximio atq; præstantissimo Dn. Respondenti Fautori ac
amico suo fraternitatis colendo gratulatur.*

Sigismundus Peilick.

*S*ic operis subscribe tuis Themis aurea fertur,
nomen ut adscriptum pressa papyrus habet

Tui


Johannis Thomæ.


*E*T numeros, Virtus, Encomia & alma meretur
Qui superat limen Docta Minerva tuum:
Crescit amore tui sudor, noctisq; negato
Tot pereunt somno, quot numerare Themis
Diva jubet. BESSERE bonis hoc nomine multis
Et notus Musis, & mihi dulce caput!
Hinc tibi lucentes, Dulcissime, ponimus aras
Antraq; non tactis persona Virginibus;
Hinc molles cantus, sacro dum pectora rore,
E Cyathis stillant, Docte Catulle, tuis,
Fundimus & Themidos Charitumq; canemus amorem,
Quem nimium Constans, sed pia cura fovet.
Nec satis hæc; Iterum tentanda sacerrima legum
Pulpita, & Astra erursus amana volant
Signa? Bonum factum! victor BESSERE redibis
Qui pugna caput es, hujus & una manus.
Cinge Comam, latosq; hederis involve capillos
Nos tibi perpetuo posimus igne focum;
Et faculas CLIO præfert, Thalia corollam
Et Laurum Phœbus, nectit & arma Themis.
Deniq; nos clamamus Evax! & claudimus agmen
Prompti hæc aternis scribere Corticibus.


*Ita
gratulatur*


Amico suo intimo

Christianus Nicolai










A 54567

ULB Halle

3

003 637 700




f

sb

12

VD 17





43

Gratiâ Favente Divinâ!

ELECTORUM JURIS PUBLICI ROMANO-GERMANICI

SEMIDECAS NONA

*Consensu Magnifici Jctorum
Ordinis*

In Legum Nutrice Salanâ

PRASIDE

GODFRIDO FIBIGIO D. PANDECT.

P.P. Universitatis Rectore, & Facultatis

Juridicæ hodiè-Decano,

RESPONDENTE

JOHANNE Bessern Droyfigio-Misnicô.

Publico eruditorum examini

Ad diem Januar.

In Jctorum Auditorio horis consvetis

institnendo,

proposita.

J E N Æ

Typis CASPARI Freyschmidts & GEORGI Sengenwaldes
ANNO MD C XLVI

